



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 2. Historiæ author & conuenientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

enim sua beatitudine, ad quam conditi sunt, non excidere, & tamen nolunt ea facere, quæ necessaria sunt ad beatitudinem consequendam. Prodest igitur, immo valde necessarium est, ut *Acediam* in Arcadico germine aliquo penitiùs inspiciamus, quod in Exempli narratione faciemus.

II.
HISTORIAE
AVTHOR A C
CONVENIEN-
TIA.
Spec. Exem-
plorum dist.
4. exemp. I.
Item Caro-
lus Abbas. in
Stemmat.
Christi. die
15. Maij.
Item in Li-
tan. Laure-
tan. ad illud:
*Spiritus San-
ctus Deus.*

Vt autem appareat, non illico contemnenda esse, quæ obuia sunt, ex obuio libro historiam recitabo, hoc ipso non obuiam, quia optimus liber à multis non legitur, obuia non legentibus, cum se-ctentur peregrina; curiositatis studiosi, non pietatis. In eo igitur volumine, cui titulus est *Speculum exemplorum*, narratur, quod etiam alios in suis libris non piguit commemorare, de duobus fratribus, Parisios, tanquam ad mercatum bonarum artium ac litterarum, caussaque studiorum, missis. Horum ego historiam tantò libentiùs recito, quia & huc solent mitti quàm plurimi adolescentes & iuvenes, ut, in celebratissima Academia, scientijs ditati, domum redeant, cum gaudio parentum, patriæ suæ emolumento, & calii applausu; qui, in hoc exemplo, vitam moreque suos perspicuè intuebuntur, siue Palladem, siue alia à litteris & sobrietate abducentia Numina aduenerentur; siue reducti, siue seducti. Nemo quippe in vitio à primo ortu fuit, sed vel sua quisque culpa fit improbus, vel alterius exemplo.

III.
DVORVM FRA-
TRVM DIVER-
SI MORES.

Senec. ep. 27.

Duo, iisdem parentibus, nobilitatis antiquitate opibusque claris, oriundi fratres, ad Parisiensem Academiam amandati, egregiè ostenderunt, se eodem ovo prodijisse, non eodem astro natos fuisse. Ut enim inter primos fratres, Abel & Cain; & inter Iacob atque Esau; itemque inter Etheoclem & Polynicem Oedipi filios; interque Romulum & Remum: ita & inter hos magnum vitæ morumque discrimen intercessit. Minor, maiorem ingenio, diligentia, pietate; maior minorem otij amore, libertate ludendi, vitæque licentia superauit. Et quia ignavis semper sunt feriæ, litteræ illi insuaves fiebant. Enimvero, quia *desidiosè studere, torqueri est*, supplicij illi loco fuit litterarius labor. Nunc excusabat valetudinem, nunc nescio quas occupationes rei domesticæ obtendebat; nunquam obstabat rigor hyemis; aliàs æstatis feruor; interdum autumnii periculosum cælum; demum auocabat à libris veris amantitas mox fugitura. Præfusus negabat esse rem habendam cum libris antè,